



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Benevolo Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

BENEVOLO
LECTORI.



UID Episcopi, aliive Prælati, eorumque Vicarii: quid Parochi, quid Confessarii in regimine Ecclesiæ valeant, & debeant jure facere, & servare, in prima, & secunda hujus Operis mei Formularii parte, juxta modulum meum, jam habes benevole Lector: qua autem ab eis forma, qua de causa, & quo jure mucro censurarum (qui est nervus disciplinæ Ecclesiasticæ) in foro tractandus, & qua potestate, pharmacove vulnus sanandum, & nexus earundem solvendus sit, hîc in tertia perspicias. An autem hoc, in hac re difficili, probè, & scitè præstiterim, affirmare nolo, nec audeo: tu autem, quod præstandum putas, tuo ingenio (quod donum Dei est) imple, & perface, induereque animum, quem ipse gero, cæteros adjuvandi.

Ex Formulis, quas hîc propono, fortassis apud alios non invenies, quia (quod sciam, & viderim) ex DD. forensibus, nullus de his tractavit: tuæ idcirco prudentiæ, & judicio, prout casus, & occasio postulat, corrigenda relinquo.

Stylum simplicem, & planum, qualem materia prærequirit, adhibui: quia

*Res, non verba damus: fructus, non pagina frondes
Profert. Si cupis has, deteriora cupis.*

nil temerè in medium afferens, nisi primùm Sacrorum Canonum, & deinde DD. fontibus recognitis: nihilque nisi rationi, virtutique consonum, & utile in notis propugnans. Mendis parcito: quia in impressione librorum Argi oculos cœcutire compertum est, & æqui bonique consulto. Hæc tibi prænotasse sat erit. Scias sapere, ut vivere sapias, & valere. Vale.